

Q. B. V.

DE

PERSVASIONE  
PROPHETARVM  
PER SIGNA

CONTRA

BENED. DE SPINOZA

PRAESIDE

ANDREA LVDOVICO  
KOENIGSMANNO,

PROFESSORE PHILOSOPHIAE  
PVBLICO



IN ACADEMIA KILONIENSI

A. D. XXX, MARTII

SOLEMNITER DISPVTABIT

JOACHIMVS BECCAIV,

FEMARIENSIS,  
S. THEOLOGIAE CVLTOR.

*Heterod.  
10.*

K I L O N I,

Literis Bartholdi Reutheri, Acad. Typogr.

t. philos.

3,47

MAGNIFICIS. VIRIS.  
DOMINO. PRORECTORI.

ET.

PROCANCELLARIO.

SVMME. REVERENDIS. CONSVLTISS.  
EXPERIMENTISSIMIS.

CAETERISQ. AMPLISSIMIS. DOMINIS.  
PROFESSORIBVS.

ACADEMIAE. HVIVS. CHRISTIAN-AL-  
BERTINAE. PATRIBVS. CONSCRIPTIS.

MAECENATIBVS. SVIS. OPTIMIS.

PATRONIS. MAXIMIS.

EXOPTATISSIMIS.

PRIMITIAS. HAS. ACADEMICAS.

VNA. CVM. SVBMISSO. ANIMI. CVLTV:

ET. PIETATE. SVA. OMNI.

D. D. D.

*SVBIECTISSIMVS. EORVM. CLIENS.*

JOACHIMVS. BECCAUV.

FEMARIENSIS.



# Conspectus dissertationis.

§. 1. *Status controuersiae, eiusque usus.* §. 2. *Quid & quotuplex certitudo?* §. 3. *Quaenam & quotuplicia signa reuelationum?* §. 4. *Nostra sententia.* §. 5. *Probatum 1. ex natura Dei reuelantis, & ipso facto.* §. 6. *2. ex conditione Prophetarum & exemplis.* §. 7. *3. ex indole rerum reuelatarum earumque reuelationis & perceptionis.* §. 8. *Contraria Benedicti Spinozae sententia, eiusque probatio 1. e ratione* §. 9. *2. ex Scriptura refellitur, & obiectio tollitur de silentio Scripturae.* §. 10. *Restrictio eiusdem, & §. 11. distinctio certitudinis, probatioque moralis tantum certitudinis Prophetarum 1. ex ratione* §. 12. *2. ex Scriptura, itidem refellitur.* §. 13. *Complexio sententiae Spinozianae & πρωτον ψευδος.* §. 14. *Nostrum circa haec officium.*

## §. 1.



Uam pestilens sit liber: Tractatus Theologico Politicus Benedicti de Spinoza, quamque noxius verae sapientiae pariter ac religioni, pridem animaduersum est a pijs eruditis uiris, ut eum ex merito synopsis Atheismi seu compendium cum celeberrimo Kortholto (a) liceat appellare, utpote in quo multo, quam ante, apertius licentiusque execranda impietatis mysteria produxit. De nullo autem capite magis, quam de II. gloriatur, (b) quasi in eo dederit ostensum, falsum esse, quod Maimonides (c) statuisset, Prophetas in omnibus inter se conuenisse, summosque & Philosophos fuisse & Theologos, qui ex rei veritate concluderint.

A 2

(a) *lib. de trib. impost. sect. III. §. 5.* (b) *Tract. Theol. Pol. c. VII p. 101.* (c) *Respicit sine dubio ad More Neuch. part. II c. 36. ff.*

rint. Quod ut demonstret feliciter, ante omnia ibi (a) de persuasione Vatum per signa agit, ut hinc deinceps (b) definiat, quousque per eam convinci poterint singuli de revelationibus sibi factis. Quaeritur videlicet: an de perceptis a se revelationibus Dei certi fuerint Prophetae, qualisque & quanta haec fuerit certitudo? Ardua sane ac pernecessaria controuersia, cum non solum Satanas se transformet in angelum lucis, (c) ubi sua Vatribus mendacia inspirat, (d) sed imaginatio etiam ita saepius dominetur in mentibus hominum fanaticorum & enthusiastarum, ut sibi similiter persuadeant, se vere Prophetas esse, repentinas cogitationes suas pro diuinis patefactionibus, motusque naturales pro diuinis habentes raptibus. Ab iis vero quantae hic oriuntur confusiones, dudum saniores Philosophi ac Theologi magno numero, nuperque demum, occasione a Dautio & Roemelingio data, nonnemo apud Hamburgenses, docuere.

§. 2. Persuasio certa, seu certitudo, ut notiones primum distinguamus, est ea mentis \* sibi consciae affectio, qua de rei cognitae veritate interius adeo conuicta est, ut locus dissonanti aut dubitationi relictus amplius sit nullus. Non iam conuenit instituto, nec etiam opus est, distincte eius genera percensere, postquam ferias nobis fecit doctissimus Proeleus, (e) sufficitque adeo, vel ea digito indice notasse, quae in ipsa occurrent disputatione. In Philosophia regnat mathematica certitudo, quae ex necessitate perceptionis rei perceptae ita fluit, ut ea non minus euidenter intelligi queat ac sciri, quam haec: totum esse maius sua parte, & quia bis duo sunt quatuor, bis quatuor esse octo. Ab hac moralis certitudo differt gradu, quippe quae eius quidem est firmitatis, cui nemo prudens possit refragari, sed tamen formidinem omnem non expellit, ut si quis dicat, matrem libe-

ros  
(a) a p. 16 (b) p. 18. (c) 2. Cor. XI. 14. (d) Vid. 2. Reg. XXII. 21. ff. \* Datur & certitudo voluntatis, cum e. c. de re certus est homo, quae tamen est falsa, ut Spinoza, eaque est ex prava dispositione, (e) lib. de cert. sens. rat. & fid. part. I. gen. c. 2. ff.

liberos ex se genitos amare. Atque haec, quia signis praecipue nititur ac coniecturis, coniecturalis quoque appellatur, nec est nisi opinionis. Theologica autem seu spiritualis certitudo autoritate nititur non fallente, qualis est Dei in prophetica reuelatione: quae licet non adeo euentem semper, in mysteriis praesertim, tam certam tamen gignit cognitionem, quam nulla contemplatio philosophica potest dare.

§ 3. Addidit ei nihilo secius Deus certa quaedam signa, quae prophetica nominamus, dispecimusque in interna & externa. Illa ipsis semper reuelationibus insita sunt a Deo ac impressa, haec vero reuelationibus earumque internis signis superaddita nonnunquam. Atque ea rursus in duplici sunt differentia: aliud namque Deus ipsi aliquando dedit Prophetae, ut Mosi, (a) aliud Prophetae vicissim audientibus dedit maioris certitudinis causa, ut Esaias domui Judae. (b) Externum autem signum, ipsi Prophetae datum, de quo imprimis disceptabitur, non fuit nouum certitudinis principium, a reuelatione discretum, sed, ut recte noster Schomerus (c) obseruauit, clarior duntaxat & constantior continuatio reuelationis, seu ulterior accessio, quae per se non minus habuit certitudinem, quam ipsa reuelatio prior, eodemque modo (ut ipse Spinoza (d) fatetur de signo Esariae) percipi debuit imaginatione, licet non sola. Signum certe, discipulis Christi, quorum eadem haecenus est ratio, Lucae XXIV. datum, illos in eo, quod videbant, confirmabat magis, nec tamen diuersi a priori perceptione generis erat.

§ 4. Jam si de persuasionem Prophetarum expromenda sit nostra sententia, veritate freti confidenter statuimus, eos de reuelationibus sibi factis utique certos fuisse, adeoque conuictos, ut non necessum habuerint vereri, ne forte phantasmate aliquo delusi essent. Addimus, perfectissimam fuisse eam certitudinem, Deo iis, quos afflavit, indubia dante *κρίτη*

A 3

(a) Ex. III. 12. (b) Es. VII. 14. ff. (c) coll. controu. nouiss. c. I. §. 12. (d) p. 22. (e) v. 39. 41.

ēia internaquē signa, ad suas patefactiones a falsis discernen-  
das, quae inprimis constitisse videntur in viuacitate perce-  
ptionis & constantia, si haec modo rite licet explicare. Ne-  
que enim dubium est, ut iam cum Molinaeo (a) loquar, quin  
Deus mentes Prophetarum peculiari quadam luce perfun-  
dat, quae humano eloquio exprimi non potest, & ab eis so-  
lis cognoscitur, qui eam sunt experti, & quae sensu quodam  
afficiat, qui post addubitationem, si quae accidat, tandem  
omnem hāsitationem eximat: ac quamuis inter initia hor-  
rore excellat, postea tamen voluptate & dulcedine quadam  
permulceat, quae igniculos amoris Dei in corde suscitet.

§. 5. Consideremus ante omnia naturam Dei, confe-  
ramusque historiam sacram, nec potuisse solum certos red-  
dere Prophetas, sed & reddidisse, apparebit. Nam quia cle-  
mentem praecipue voluntatem suam, de hominum e mise-  
ria liberatione, ipsis patefecit, iniustus sane fuisset, si tam in-  
firma salutari doctrinae substruxisset fundamenta, ut vacilla-  
re oportuerit eius in terris Legatos. Absit autem, ut perfe-  
ctissimus Deus sit iniquus! (b) Si vero hominem ita condi-  
dit, ut de rebus naturalibus naturaliter sit certus, quidni effi-  
ceret tanto magis, ut & Prophetae de supernaturalibus su-  
pernaturaliter essent certi? Habet sane in potestate animum  
hominis, (c) ut ei indat cogitationes, (d) roboreque ac po-  
tentia superat, quidquid est usquam, infinitis modis, lucidissi-  
mus praeterea est & operosissimus. Quis ambigat ergo,  
tam fortiter afficere animos potuisse, cum affecit, ut ab iis  
quam certissime cognosceretur? Idquere vera etiam pro  
sua in homines exuberanti benignitate effecisse, testes omni  
exceptione maiores ipsi sunt Prophetae, qui idpropter ita  
exorsi sunt & inscripserunt suas prophetias: dixit Jehouah,  
Jehouah me affatus est, (e) sermonemque Dei clarae luci  
compararunt, (f) & ardenti igni. (g) Qui quantus sit, quam-  
que

(a) in Vate III. 5. p. 95. (b) Job. XXXIV. 10. (c) Prov. XXI. 1.  
(d) Neh. II. 12. (e) ut Es. I. 2. Ier. I. 4. Ezech. I. 3. conf.  
Dan. II. 28. (f) Dauid. Ps. XIX. 8. CXLIX, 5. (g) Jer. XX. 9.

que acriter impellat Vates, si cupimus nosse, audiamus Amosum: (a) Dominus Jehouah locutus est, inquit, quis non vaticinetur?

§. 6. Ipsi Prophetæ cum ad vaticinandum nihil ab indole aut munere afferrent, nec quidquam eo facere sapientiam viderent, ut Daniel (b) exsertis docet verbis, mirabantur quidem diuinam in se vim, sed de veritate suarum reuelationum ne semel quidem dubitabant, etiam cum eae pessime exciperentur. Et vero si homines fuerunt, qui eo quoque differunt a bestiis terræ, quod certa conscientia pollent cogitationum suarum, hac quis sanus putet destitutos fuisse, imprimis cum ab ipso instituerentur Deo, naturales mentis vires perficiente? Moses, cum ipsi Filius Dei de rubo apparuisset, tanta per conspectam flammam luce collustrabatur, ut non de præsentia Jehouæ, sed de fide dubitaret Israelitarum, & declinare quidem volebat ad eos legationem, repugnante natura, sed pro incerta non habebat. (c) Quidquid moliebatur Balacus, non poterat tamen aliter pronunciarè Bileamus, quam ei Deus eiusque Spiritus inspirasset, etiam si ipsi Rex plenam auro argentoque dedisset domum: (d) tam certus erat de mandato Jehouæ, quem viderat, quemque audiuerat cum horrore. (e) Michæas cum etiam a Legato admoneretur, ut fausta prædiceret Josaphato Regi, Jehouam immortalem testabatur, quod sibi edicturus esset Jehouah, id se locuturum, ac ne tum quidem, cum ei ob prædictam Achabi caedem Zedekias colaphum inflixisset, anceps hæsitabat, an forte cerebri fuerit lusus, quando Israelitas ut oves viderat palantes in montibus sine pastore, sed mendaci Vati ignominiosas in conclaui latebras ominabatur. (f) Nec Jeremias dubitabat de reuelatione sibi facta, cum etiam ob oraculum de vastatione Hierosolymarum a Phassure Pontifice verberatus inque carcerem esset coniectus: quin pergebat potius imperterritus Prophetam se demonstrare, illius totius

(a) III. 8. (b) II. 27. ff. (c) Num. III. ff. IV. 1. (d) Num. XXII. 18. 38. XXIII. 12. 26. XXIV. 2. 13. (e) XXII. 9. ff. 31. ff. (f) I. Reg. XXII. 24. ff.

tiusque populi imminentem captiuitatem *καρρησιδαιως*  
 praedicens. (a) Expostulabat deinde cum Deo, cur se misisset ad  
 tantos diuinitatis contemptores: missionem autem suam nec  
 ipse in dubium vocabat. (b) Cogitabat denique secum de  
 munere intermittendo: sed contra incitabat Deus, intus in  
 animo eius ut ignis ardens, quem qui describeret instinctum,  
 is demum rationem exponeret persuasionis Prophetarum.  
 Occurrebat Deus exterius, ut ferox miles, hincque praesente eo  
 triumphabat Vates de aduersariis suis: inferiores fore, redactum  
 iri in ruborem. (c) Elias cum a deo incidisset in vitae di-  
 scrimen, occisis sacerdotibus Baalis, non dubitabat de diuina  
 manu, (d) sed conquerebatur saltem de fato suo, quod in tam  
 deploranda incidisset tempora, nouis mox signis ipsiusque  
 Jehouae noua confirmandus apparitione. (e) Superuacane-  
 um est, plures hic memorare: unum tamen Danielelem non  
 possum quin adiiciam, quia tam significanter suam exprimit  
 persuasionem, ex ertis verbis & vidisse se quatuor illa anima-  
 lia, eiusque visionis certum & expetiisse & consecutum esse  
 praedicans intellectum. (f) In Hebraeo est אֱמֶת־וַיִּשְׁכַּח־וְהוּאֵמֶת  
 veritas, cui  
 sua firmitas, sua constat integritas: huc autem certitudinem  
 requiri, nemo est, qui ignoret.

§. 7. Neque vero fata solum futura, aut, ut Spinoza  
 putabat, leges solum diuini regni, sed & priuilegia ciuium  
 eius, per Christum parata, ebuccinarunt, idque praecipuum  
 fuit eorum argumentum. (g) Euangelium hoc vocatur, tam  
 frequens in ore ac scriptis Prophetarum, ut Esaias in hoc ge-  
 nere fere totus non sine ratione veteribus dictus sit Euange-  
 licus Propheta, & Propheticus Euangelista. Isthoc vero, ut  
 Paulus (h) docet, est *δυναμις Θεου εις σωτηριαν παντι τω πι-  
 σευοντι*. & de hoc incerti fuissent Prophetae, an diuinam ha-  
 beret originem? Quid caeteri fuissent, quorum tota hoc  
 fulcro subniti debebat spes salutis? dubii sane omnes ac so-  
 latio

(a) Jer. XX. 4. ff. (b) 7. ff. (c) 9. ff. (d) 1. Reg. XVIII.  
 46. (e) 1. Reg. XIX. 1. ff. (f) Dan. VII. 16. 19. ff. (g)  
 Vid. Apos. XIX. 10. Act. X. 43. Eph. II. 20. &c. (h) Rom. I. 16.



latio destituti : sed certi fuerunt ac gaudio pleni, quotquot inde sapientiam hauserunt, quae est certa, (a) vixeruntque iusti diuina fide, (b) quae itidem est certa. (c) Nec minus persuasi de caeteris fuere capitibus, utpote per certa proditis verba, (d) quae idpropter & tabulis inscribi iubebat Deus, a praetereuntibus legenda. (e) Quae licet omnia non intellexerint forte, quod nec conueniebat ei aeuo, (f) certi tamen fuerunt, diuinitus reuelata esse, ac vera. Cunctos percurrere modos reuelationis, breuiter ac ordine percensitos a Balduino : (g) nullus fuit, qui non summam eorum animis certitudinem ingeneraret, ut ampliter probauit Gurtlerus. (h) Siue enim vigilantibus ea contingeret per alloquia diuina, cum tot ac tantis id fiebat diuinae maiestatis signis; siue dormientibus accideret per species, imaginationi oblatas, tanta id vi virtuteque fiebat, animos eorum ab omni alia sensione liberos afficiente, ut de praesentia Dei haut possent dubitare. Quod si Deus ipsi statim intellectui Prophetarum, in visione interna aut ecstasi constitutorum, modo interno atque mystico patefecit sua secreta, tanto sane hi fuerunt certius persuasi, quanto singularem illum Spiritus S. instinctum clarius senserunt. (i) Nihil in vniuersum emblematis siue corporis siue mentis eorum oculis obiectum unquam fuit, cui non index affuerit diuinitatis egressa a Deo insolita quaedam lux, (k) eos non illustrans modo, sed & vehementi ardore suo ita concitans, ut quae perceperunt, non potuerint non certo nosse percepta, ac eloqui. Hocque idiplum est, de quo & Apostolorum nomine Paulus gloriabatur; Deum splenduisse in animis suis, (l) ac inde in animis attendentium omnium. (m) Quem splendorem licet

B

imitari

- (a) *Pf.* XIX. 8. (b) *Hab.* II. 4. (c) *Hebr.* XI. 1. (d) *Apoc.* XXI. 5. & *passim.* (e) *Hab.* I. c. 2. (f) *Vid.* *Dan.* XII. 4. (g) *in 2. Cor.* XI p. 606. ff. (h) *Theol. proph. c.* III. §. 18. ff. (i) *Vid.* *Ezech.* VIII. 3. (k) *Vid.* *Pf.* CIV. 2. 1. *Joh.* I. 5. 7. 1. *Tim.* VI. 16. *Jac.* I. 17. (l) *2. Cor.* IV. 6. (m) *2. Petr.* I. 19.

imitari conatus sit infernus daemon, simia illa Dei, tamen non nisi *θολωδες το πυρ* prae se tulit, ut ait Jamblichus, (a) qui hos diuinitatis characteres tam pulchre explicauit, ut in sacro eos codice legisse videatur. At Deum liquidus omnino & albus laetusque comitatur color, omnem humanam perceptionem, quae praesens ad negotium non spectat, excludens. Id quoque internum lumen, quod fanatici crepant, stupor ille mentis horrorque contradictionum prodit facile, non esse diuinum; hoc enim vera constantique sapientia suos replet possessores. Qui cum id perceperint sensu menteque sani, interiusque in animis suis experti sint efficacissima ratione, quis affirmare sustineat, eos non fuisse certos de sua reuelatione? Neque enim aliunde, quam ab ista praesentia rerum & quasi appulsu, certitudinem pendere omnem, fuisse nuper & docte Proeleus (b) iam ostendit. Ipsi olim Sceptici non ita de controuersis omnibus dubitabant, ut *τα φαινόμενα* excipi nollent, quemadmodum vel Sextum Empiricum (c) legenti constat.

§. 8. Benedictus de Spinoza autem eo usque procedere temeritatis non veretur, ut statuat, nec prophetiam per se inuoluere posse certitudinem, nec adeo Prophetas certos fuisse de Dei reuelatione per ipsam reuelationem, sed per aliquod signum. Hocque primum ex ratione inde probat, quod prophetia a sola pependit imaginatione humana, verba & figuras percipiente, quae ex sua natura non inuoluat certitudinem, ut, si de rebus, quas imaginamur, certi esse velimus, ad modum clarae & distinctae ideae, necessario accedere ratiocinatio debeat. (d) Ex quo intelligimus, rationem secundum Spinozae sententiam, multo certius animos conuincere hominum, quam reuelationem, proprio eorum perceptam sensu. Iam si concesserim quoque, eam imaginatione esse cognitam, haec sane, quia res admodum viuaciter exhibuit, quod ipse fa-

tetur

(a) *de myst.* c. IV (b) *l. c. part. I. gen. c. 2. conf. c. 5. §. 5. & part. II. spec. c. 3. §. 2. 4. & c. 4. §. 7.* (c) *de Pyrrh. hypoth.* (d) p. 16.

tetur Spinoza, (a) ita animum pariter debuit illustrare, ut de eo non minus constiterit Prophetis, quod ipsis reuelatum fuit voce vel figura, quam aliquem videre solem, vel tonitru audire, cum eius oculus ad videndum, vel auris ad audiendum rite disposita reapse videt vel audit; aut opifex horum sensuum, sanctus & verax Deus, autor est iudicii falsi. Sane & Samuel, (b) & David, (c) & Daniel (d) intellexerunt, quis esset, qui ad se loqueretur; norat quoque Abrahamus, (e) quis se sibi daret conspiciendum, & Gideon, (f) & alii, qui in sacris literis crebri sunt, nisi ubi se Deus consilio voluit abscondere. Ego Iohannes haec vidi, & audiui, inquit sensuum suorum ipse testis. (g) Quin & aliis id hominibus affirmantes fidem inuenerunt: cognouit uniuersus Israel a Dane Bersabam usque, Samuelem certo esse Proptheram Iehouae. Cum vero illud, quod hic pro certo ponit Spinoza, (h) a sola imaginatione pependisse prophetiam, quod & olim statuit Porphyrius, famosus ille hostis Christianae religionis, falsissimum sit, totum hoc fundamentum corruit statim. Siue enim ipsius Spiritus S. siue animarum propheticarum, siue rerum praecipuarum, quae iis reuelatae sunt, indolem spectes & naturam, non potuit vel Spiritus S. modo sibi conuenientiore res reuelare, quam incorporeo, vel animae propheticae aliter res percipere, quam intellectu suo, nec ipsae res aliter, quam mente, comprehendi, utpote spirituales, omnemque adeo sensum fugientes. Hinc significanter admodum Deus in ipsa quoque visione se, non visum, sed cognitum fieri Prophetae, ut ab Hebraice doctis memini obseruatum, quos inter & ipse autor libri Nizzachon (k) vocem ראייה propterea per intellectum explicat, seu rerum spiritualium intelligentiam. Hinc bona quoque, quae Deus in se

B 2

con-

- (a) p. 7. (b) 1. Sam. III. 10. (c) 2. Sam. XXIII. 3. (d) Dan. VIII. 13. ff. (e) Gen. XVIII. 23. ff. (f) Jud. VI. 23. ff. (g) Apoc. XXII. 8. (h) 1. Sam. III. 20. (i) *Id iam probare studuit* c. 1. p. 3. ff. (k) p. 43. & 51.

confidentibus per Christum paravit, cum natura in mentem hominis non venisse, (a) & vero a Spiritu S. patefacta esse dicantur, consequitur necessario, menti ea patefacta esse: coelestia enim fuerunt, non terrena, ut Paulus in epistola ad Hebraeos (b) docet. Quae etsi aenigmatibus tum plurimis, & pro conditione istius populi aequique Mosaici, \* ob sapientissimas rationes (c) symbolis sunt inuoluta, tamen nec semper sunt inuoluta, & etiam cum inuoluta sunt, aenigmata & symbola imaginatione ac sensu, sed res ipsae a Deo significatae intellectu sunt perceptae. Res enim materiae constantes sensu & intellectu, deinde imaginatione & intellectu, res molis expertes puro percipiuntur intellectu, hoc est ea secundum Malebranchium (d) facultate, qua mens cognoscit res externas, nullis earum imaginibus in cerebro formatis. Quod si iam imaginatione figurae, intellectu vero percipiuntur res figuratae, tantum abest, ut certitudinis obtinendae gratia, ad reuelationem accedere ratiocinatio debeat, ut potius reuelatio sit multo certior ratiocinatione. Haec enim fit ope idearum, quae antecedentem habent sensuum & intellectus perceptionem: illa vero ipso statim sensu hominis & intellectu directe percipitur, in quam perceptionem omnis omnino certitudo ultimum resoluitur, (e) nititurque praeterea autoritate Dei, qui non fallit. Audiamus hic Platonem, (f) priusquam ad  
alia

(a) Es. LXIV. 4; coll. 1. Cor. II. 9. (b) Hebr. IX. (c) Vid. Aug. ep. CXIX. de ritib. eecles. \* Hebraea stirps aequae ac aliae gentes ad orientem, ab antiquissimis inde temporibus, iam antequam in Aegyptum esset ventum, vid. Gen. XXXVII. 7. istiusmodi inuolucris adsueti erat. Tum & conueniebat Mosaico aeno, umbris & imaginibus Prophetarum inuolui mysterium Dei Prov. XXV. 2. 1. Cor. II. 7. ff. Hebr. VIII. 5. X. 1. &c. ut tanto diligentius euolueretur Hof. XIV. 10. Placebatque Deo isto a corporeis ad spiritualia transitu vegetare animos, adeoque imaginibus eo tempore claris res sacras proponere. Es. V. 1. ff. Ezech. XI. 3. 7. XXIV. 3. ff. &c. (d) de inquir. ver. III. 1. (e) Vid. Proel. l. c. part. II. spec. c. 4. §. 6. (f) lib. II. de rep. fin.

alia pergamus: & simplex, inquit, Deus, & verax dictis ac factis, neque mutatur ipse, neque decipit alios, neque per visiones, neque per sermones, neque signis immitendis, neque nobis dormientibus, neque vigilantibus. Quamobrem & absurdum iudicat, (a) Deorum filii (sic Numinis vocat interpretes) non habere fidem, etiamsi absque verisimilibus & necessariis demonstrationibus dicant.

§. 9. Probare deinde (b) conatur ex Scripturis Spinoza, quod semper indiguerint signo Prophetarum, exemplis Abrahami, (c) Gideonis, (d) Mosis (e) & Ezechiae (f) in medium prolatis. En vero, quanta hic statim confusio! dum nec Prophetas rite distinguit, nec etiam signum, quo ipse Propheta certus reddi debuit, discernit ab illo signo, quo inducuntur alii, ut credant Prophetarum. Quid enim Gideon & Ezechias inter Prophetas? quid signum, quod ab Esaia petiit Ezechias, ad illud signum, de quo hic est sermo? Annumerat autem Spinoza omnes censui Prophetarum, quibus quomodocumque apparuit Deus, & omnes illas res, quibus vel aliqua ratione convenire potest appellatio signi, huc corradit, ut vel sic scopum suum ex voto assequatur. Sed en, quam falsae sunt etiam argumentationes eius! hic, ille, iste signum habuit: ergo omnes habuerunt; habuerunt: ergo necessario habere debuerunt, ut certi redderentur de antegressa revelatione. Abrahamus sane non ignorabat, a Deo sibi promissam istius terrae possessionem, ut Spinoza fingit, (audiuerat enim satis) sed id signaculo quodam corroborari petebat ad posteros valituro, ut clara litera & exitus docet. Quod autem Gideon postulabat signum praesentiae diuinae, prudentiae \* eius & desiderio tribuendum est cognitionis vberioris, qui tamen per ipsam revelationem tantum potuit esse certus, quantum

B 3

intelle-

(a) in *Timaeo*. (b) p. 16. (c) *Gen. XV. 8.* (d) *Jud. VI. 17.* (e) *Ex. III. 12.* (f) *2. Reg. XX. 8. Es. XXXVIII. 22.* \* *Pii sane hominis est, probare spiritus, ne spectro aut phantasmae illudatur.*

intellexit. Moses ne postulabat quidem signum, quia non dubitabat, sed ut magis certus esset, se a Deo missum, Deus ei ultro euentum proponebat loco signi, quod non insolens est Deo in Scripturis. (a) Ezechiae denique incredibile videbatur, quod ex Propheta audiuerat, se tertio die ad aedem Jehouae adscensurum, eoque cupiebat ab eodem confirmari. Hincine vero efficietur, Prophetas propterea omnes signo opus habuisse, ipsamque eorum reuelationem in se non fuisse certam, quia aliqui gauisi sunt signo, & vnus forte Gideon natura timidior eo indiguit, qui ne Propheta quidem reuelationibusque adsuetus fuit? Sed non semper solere Scripturam conditiones & circumstantias omnes enarrare, verum istiusmodi res potius vt notas supponere, inquit Spinoza. (b) Falsum autem est, quod haec res adeo nota sit, Prophetas semper signum habuisse ob incertitudinem reuelationum, vt id supponi potuerit: unde enim de hoc constat Spinozae? exempla hic sunt in medium proferenda, quae id commonstrent. Sed reuelatio prophetica (de hac enim loquor) tam clara fuit attendenti per signa interna, vt per se non indiguerit nouo signo.

§. 10. Restringit autem Spinoza sententiam suam, excipitque Prophetas, qui nihil noui, nisi quod lege Mosis continetur, vaticinabantur, hosque dicit non indiguisse signo, exemplo Ieremiae, de excidio Hierosolymorum & prophetiis reliquorum Prophetarum, & minis legis confirmati: caeteros vero signo necessario indiguisse, exemplo Chananiae, contra omnes Prophetas citam ciuitatis instaurationem praedicentis. (c) En quanta rursus inconstantia hominis! nam primum dicit, si quis quid noui vaticinaretur praeter legem Mosis, signo indiguisse: mox etiam consensum addit Prophetarum. Qui cum ab eo statuatur incertus esse, quomodo, quaeso, talem efficere potuit certitudinem, ut opus non fuerit nouo signo? Et quid inter

(a) *Gen.* XV. 8. 13. *ff. Es* VII. 14. XXXVII. 30. *coll. 2. Reg.* XIX. 29. (b) *p.* 17. (c) *Jer.* XXVIII. 9.

inter sanctos Prophetas impostor ille, (a) Chananius, quem sane nos defendere non cogimur? Qualis etiam ratio! signo certi redditi sunt Prophetae de re patefacta; ergo reuelationi per se non constitit sua certitudo. Quid enim obstat, quo minus & signo redditi sint certi, & tamen etiam reuelatio per se in tantum fuerit certa, in quantum se extendit. Exterior certos reddidit certitudine primum sensuum, interior deinde ulterius certitudine intellectus, creuitque eius & cognitio & certitudo per gradus, ut quo plura paulatim intellexerunt, de eo pluribus fuerint certi. Omnis enim reuelatio facta est per modum coruscationis aut irradiationis, ut veteres loquebantur, quae mentes eorum, ut aer per radios solares, aut locus obscurus per lampadem magis vel minus illustratur, prout lux maior est vel minor, ac vel accedit propius, vel longius recedit. Hinc toties ulteriori opus fuit reuelatione, quoties ulteriora nosse homines debebant, nec semper uno eodemque tempore omnia intellexerunt, imo haeserunt aliquando, cum diuina ipsis inspiratio non adfuit, ut pridem quoque Theodoretus, (b) et nostrisque Lutherus (c) & Lyserus (d) obseruarunt. Iam prophetica reuelatio certos reddidit Prophetas de iis, quae intellexerunt, certitudine conscientiae: signum si opus fuit addi, certos reddidit praeterea de pluribus tum conscientiae tum fidei certitudine, ut & doctiores essent Prophetae, & ad alios docendum conuincendumque instructiores. Gideon non erat Propheta, certus tamen erat de omnibus, quae viderat audiueratque: sed quia animus eius non poterat ferre tam subitam mutationem, transitumque a desperatione ad spem liberationis, (e) tamque insolitam statim comprehendere lucem, ac ipse quoque Deus se nondum adeo euidenter reuelarat, ut de eo tanquam lehoua, tam fortiter sibi contra Midianitas ad futuro, tum statim plene con-

uictus

- (a) v. 15. (b) in 1. Reg. q. XXXV. 2. Reg. q. XXII. 2. Reg. q. XVI. (c) in Gen. XLIV. (d) de Prophetis sect. II, §. 12. (e) conf. Jud. VI. v. 1. ff. §. 13. cum 14. 16.

uictas esse posset Gideon, (a) idcirco & de hoc certus reddi optabat per signum, quod & obtinuit. Mofi autem tam clare statim se patefecit Deus, (b) qui de se lucem spargit dispensatque pro arbitrio, (c) ut ab eo illico agnosceretur, ideoque eum tantum ulterius de euentu edocebat demandatae legationis, non de ipsa legatione demum certum reddebat, de qua iam erat certus. Sic & caeteris postea Prophetis ubi contigit reuelatio, haec tam indubia in se habuit *κρίτηρια* diuinitatis, & interna signa, ut non fuerit opus nouo signo, nisi ad ulteriorem instructionem, aut populi conuictionem, ut constat exemplo Esaiæ. (d) Quod si concederem etiam, omnes signo redditos esse certos, quid tandem obtinuit Spinoza, inde probaturus, prophetiam per se non inuoluerē certitudinē? Ego inuerto argumentum: si signo redditi sunt certi, & reuelatione redditi sunt certi: si autem reuelatione non redditi sunt certi, nec signo quoque redditi sunt certi: quid enim est signum, nisi quaedam reuelatio? Et quomodo euentus diu post secuturus, quem & ipsum aduersarius noster (e) agnoscit pro signo, \* certos reddere potuit antea? Reddidit autem certos, ubi est fide diuina acceptus, quae res futuras iis stitit, ut praesentes, (f) adeo ut David recte dicatur res Christi praecuidisse: (g) eoque ipso sublata est haesitatio omnis.

§. 11. Sed dum contrariam Spinoza stabilit sententiam, ne omnino dubiam reddat prophetiam & reuelationem, quasi nihil habeat certitudinis, hinc mathematicam quidem ei denegat certitudinem, sed tamen tribuit moralem: (h) Hocque probaturus, ita primum ex ratione argumentatur: credibile non esse, pios & electos unquam decipi a Deo,

(a) Conf. omnino Ex. VI. 3. (b) Ex. III. 6. (c) Vid. 1. Cor. XII. 11. (d) Vid. Es. VII. 14. 2. Reg. XX. 8. ff. (e) p. 16. \* Euentus in Scriptura memoratur, ut signum propheticum, tum ratione Prophetæ, ut Ex. III. 12. tum ratione audientis, ut Deut. XVIII. 22. hocque signum fide est acceptum. (f) Hebr. XI. 1. Vid. Gurth. l. 6. §. 17. (g) Act. II. 31. (h) p. 16. f.



a Deo, qui iis utitur ut instrumentis: cum autem ea in re nemo de se praesumere possit, exemplo Davidis, quem Dei ira seduxerit ad numerandum populum, (a) cum tamen de eius pietate Scriptura abunde testetur, hinc probabilem tantum esse certitudinem reuelationis. Sed quis nescit, diuersas plane dotes esse prophetiae & pietatis, vt adeo pietas, quae est voluntatis, per se non disponat ad prophetiam, quae est intellectus, ni Deus velit libertate sua uti, & Spiritu suo utramque excitare. Equidem non diffiteor, illam, si in aliis omnibus, in Propheta praecipue non posse non placere Deo. Constat autem exemplo Bileami, (b) qui impius fuit, (c) adeo vt etiam a Patribus ecclesiae (d) dicatur diaboli Propheta, & Vatis Bethelitici, (e) qui mendax fuit & impostor, (f) Prophetas esse potuisse etiam eos, quorum mens fuit praua ac impura. Neque enim vllam naturae dispositionem ad vaticinandum, quae fuit extraordinaria quaedam dos, necessario in hominibus requisuisse Deum, sed ex libera dispensatione inspirasse, quos voluit, dudum Wittsius ostendit, (g) & post eum Engelkenius peculiari dissertatione, (h) Si vero pietas character fuit Prophetarum, cur impios quoque & profanos Spinoza accenset Prophetis, vt Cainum, homicidam, (i) & Labanem, (k) & Augures Nabucadonossoris, (l) & similes? Et quid est, quod certitudinem prophetiae ait ab animo honesto pendere, & tamen moralem, hoc est, coniecturalem esse? Nescit sane, quid dicat, homo ad omne lumen & rationis & diuinae reuelationis oculos claudens temere. Anne bonitatis aequae ac veritatis constantes sunt regulae ac firmae in men-

C te

- (a) 2. Sam. XXIV. 1. (b) Num. XXIII. f. (c) Num. XXXI. 16. 2. Petr. II. 15. f. Jud. v. 11. (d) Greg. Nyssenus, Theodoretus, Ambrosius lib. VI. ep. 36. Sc. (e) 1. Reg. XIII 21. f. (f) V. 18. ff. (g) in miscell. sacr. de Prophet. §. 7. (h) de dispos. ad vaticinandum. (i) p. 19. 23. 28. (k) p. 23. (l) p. 19.

te humana expressae, & iudicium hominis de utraque aeque certum? Non opus est hoc demonstrare sollicitius, quia evidens est cuius, sana mente praedito, quam certus sit istius rei interior in mente sensus, testimonium perhibente conscientia, (a) ipsoque Dei Spiritu in sanctis operoso. (b) Quam confidenter ad innocentiam suam prouocat & Iobus, (c) & David! (d) quam certus de fide & constantia sua est Paulus, (e) & plures, ex Scripturis noti! Cum autem ea in re non temere de se praesumere potuerunt, quod utique largimur, ane inde sequitur, certos non fuisse de fide ac pietate sua? Aliud sane est, certum, aliud securum esse aliquem, quasi non metuere debeat lapsum, (f) ut David, quem Dei ira non quidem seduxit, ut vult Spinoza, sed per Satanam seduci tum permisit ad numerandum populum, in ipsius populi promeritam poenam, ut constat ex prioris libri Chronicorum (g) collatione. Neque vero propterea is certus fuit de veritate reuelationis Dei, quia certus fuit de pietate sua, aut sinceritate Dei se non decepturi: (fatemur enim, hinc non nisi probabilem oriri persuasionem, (b) nec ignorauit Rex sapientissimus, etiam impiis nonnunquam patefacta esse Dei arcana) sed ideo certus fuit, quia reuelationem Dei perceptione propria percepit, ut ipse docet: tu, Iehouah, absconditam sapientiam mihi patefecisti; (i) & alibi: Spiritus Iehouae in me locutus est, eiusque effatum in lingua habeo. (k) Ac idem de caeteris iudicandum Prophetis, eos scilicet per ipsam Spiritus S. praesentiam in ipsis efficacem certos fuisse de Dei reuelatione, siue pii fuerint, siue non.

ritus

(a) Rom. II. 15. (b) Rom. VIII. 14. ff. (c) in libro Jobi passim ut c. XVI. XVII. XXIII. XXIX. XXXI. (d) in salmis passim, ut Ps VII. XXVI. CI. (e) 2. Tim. I. 12. IV. 7. f. (f) Rom. XI. 20 (g) c. XXII. 1. (h) Proel. l. c. part. 1. gen. c. 2. §. 13. & part. II. spec. c. 3. §. 5. (i) Ps. LI. 8. (k) 2. Sam. XXIII. 2.

ritus testatus est in animis ipsorum, ineffabili quadam demonstratione & declaratione diuinitatis suae, quod Spiritus sit veritas, vt cum Iohanne (a) hic loquamur. Sane vt nihil, nisi ipse sol, mentem per radiorum suorum ad oculum appulsum confirmat, solem illuxisse: ita nemo quoque nisi ipse Deus, eiusque clara perceptio mentem potuit confirmare, diuinam esse reuelationem.

§. 12. Denique Spinoza etiam ex Scriptura conatur probare, verbis Mosis (b) & Christi, (c) prophetiam cum signo etiam falsam esse posse, Deumque ea aliquando homines decipere, ex Ezechiele (d) vult persuadere, idque etiam testari Michaeam de Prophetis Achabi. (e) Iam etsi non est necessum, vt haec sollicito adeo examinemus, cum quorum habemus monumenta, non neget, veros Prophetas fuisse, religio tamen nos mouet, ut falsitatem eius & impietatem, quae hic elucet maxime, detegamus. Existimat enim falso, signum necessario ad certitudinem requiri prophetiae: quod secus habere ostendimus. Deinde impie statuit, Mosen & Ezechielem docere, quod Deus ( qui ei tamen non est, nisi natura ) homines falsorum Prophetarum miraculis tentet, ac decipiat adeo nonnunquam. Nam ille (f) de permissione tantum loquitur Dei, non: quod vos tentet Deus vester, sed כִּי מִנְסֶה, quod vos tentare faciat, vt vester cognoscatur erga se amor: hic vero (g) ipsum adeo Deum exhibet loquentem, non: ego Iehouah eum decepi, sed אֲנִי יְהוָה פָּתִיחַ אֶת הַנְּבוֹאָה הַזֶּה, ego Iehouah decipere feci Prophetam illum, hoc est, vt alios deciperet, permisi. Vnde apparet, quam sit negligens Spinoza propriae linguae, quamque adeo maleuolus veritatis deprauator. Quod autem Michaeae testimonium de spiritu vero & falso hic tanquam certum adducit sententiae

C 2

- (a) 1. ep. V. 6. (b) Deut. XIII. 1. §. (c) Matth. XXIV. 24. (d) XIV. 9. (e) 1. Reg. XXII. 21. §. (f) l. c. v. 3 (g) l. c.

tentiae suae argumentum, id dum inferius (a) rursus re-  
iicit, utpote de quo unicuique credere liceat, prout suae  
rationi magis consentaneum videatur, inconstantiam suam  
prodit denuo. Sed hoc ipso testimonio contra Spinozam  
declaratur, quomodo Deus homines decipi permittat per  
Pseudoprophetas. Dixit enim spiritus mendax Iehouae:  
ego decipiam Achabum, ut Ramotha Galaaditatum inua-  
dat, atque ibi cadat: (b) ergo Deus non decipit homines;  
Iehouah subiecit: decipies, succedet: vade atque ita facito:  
(c) ergo Deus spiritum mendacem decipere alios fecit per-  
mittendo. Atque hoc intelligi vult Michaeas, cum mox  
(d) dicit: Deum in os omnium Regis Vatum falsum spiritum  
immisisse. Cuiusmodi sane Prophetas recte Moses & Chri-  
stus vetuerunt audire, etiam cum signis confirmare suas  
prophetias laborarunt: quid vero hoc ad rem praesentem?  
Apparet, quam denuo Spinoza confundat signum, quo per-  
suadentur alii, cum signo ipsius Prophetae: quorum illud  
cadit in falsos Prophetas, hoc autem minime, ut scire ne-  
quiuerint, suas reuelationes esse falsas.

§. 13. Cum itaque Spinoza certitudinem propheticam  
non nisi his tribus ait (e) fundari: viuida imaginatione,  
annexo signo & conscientia animi, ad aequum & bonum  
inclinati, frustra est omnino. Ostendimus enim satis,  
primum non a sola imaginatione pependisse perceptionem  
prophetiae; deinde signa non fuisse discreta ab ipsis re-  
uelationibus, nec certitudinis earum fundamenta; de-  
mum animum probum non vniuerse ad vaticinandum re-  
quisitum esse, nec ex eo de ipsa vaticinatione iudicatum.  
Bileamus sane etiam si impius esset, certus tamen erat de  
mandato diuino per ipsam mandati diuini perceptionem,  
ut visum. Longe ergo alia hic memoranda sunt, quae cer-  
titudinem demonstrant multo maiorem: lux a Deo profe-  
cta,

(a) p. 29. (b) I. Reg. l. c. v. 21, (c) v. 22. (d) v. 23.  
(e) p. 17.

sta, intellectus Prophetarum, eam lucem recipiens, & rerum reuelatarum sanctitate Deum omnino decente de earum diuina origine adeo interiori conuictus sensu, vt ad fidem nihil posset vltius desiderari. Diligenter quidem insitos diuinitatis characteres in prophetiis exquisiuere adhuc eruditi, sed procul dubio Prophetae ipsi, quibus Deus apparuit & locutus est, & plura & planiora & magis persuasoria diuinae praesentiae argumenta habuerunt, quam alius quisque allegare potest. Res visae namque vocesque auditaе (addo & ideae intellectae) spectatores & auditores suos fortius feriunt & commouent, quam eos, quibus illae narrantur. (a) Et hi cum se reuera ita affectos fuisse ipsi testentur, non video, cur nos hic temere adeo controuersiam possimus mouere: quis enim hominum melius nouit res hominis, quam hominis spiritus, qui est in eo? (b) Cogitari sane poterit, quanta eorum fuerit certitudo, quae tot eos periculis obiecerit, quae aduersa rationi & affectui suo coegerit perpetrare, Ionam inuitum ac reluctantem Niniuitis concionari, (c) vt mittam caetera. Facile autem pellucet *πρωτον ψευδος* Spinozae, quod nec difitetur, vt est magnae impudentiae: scilicet prophetiam cedere cognitioni naturali, quae nullo indigeat signo, sed ex sua natura certitudinem inuoluat: vt errent, qui hanc inuestigare studeant ex libris Prophetarum, (d) quod est cum ratione insanire. Nam etsi cognitio naturalis non indiget signo, ut nec prophetia, indiget tamen ratiocinatione: prophetia autem ipso statim interiori percipitur sensu. Quid ergo magis ex sua natura certitudinem inuoluat? Quin eo adeo praestat cognitioni naturali prophetia, quod illa potest esse falsa, haec semper est vera, vt pote ex ipsa statim mente veracis Dei expressa: vt recte faciant, qui hinc certam inuestigare student veritatem. Cum enim Philosophia gi-

C 3

gnat

(a) Gurtl. l. c. §. 32. (b) 1. Cor. II. 11. (c) Jon. I. 3. 10. III. 1. §.  
(d) p. 16.

gnat certam scientiam, Scriptura vero certam fidem, necessario consequitur, si quid de rebus naturalibus & spiritualibus in Scriptura affirmetur, quod & patet ex Philosophia, illud tanto certius esse, quod & sciatur ob rationem, & simul credatur ob reuelationem Dei, cui & in caeteris, ratione non definitis, fides ob summam veracitatem habetur merito. Sed quia nunquam in se Spinoza expertus fuit vim prophetiae virtutemque diuinam, mirum non est, quod de his omnibus tam imperite disserat, ac commentetur.

§. 14. Nobis autem, cum Prophetis diuinitatem suarum reuelationum ac summam veritatem plenissime persuasam fuisse, ostenderimus, fas haut est, vllum de earum coelesti origine dubium mouere. Nam sicuti locuti sunt, quia crediderunt, ita loquentibus fides sine haesitatione habenda est, qui nec decipi sensibus & mente integri potuerunt, nec decipere alios voluerunt, non gloriae, non opibus studentes, sed toto conatu affectuque & Dei asserentes honorem, & salutem populi curantes. (a) Quare & Christus meditari iubet vaticinationem Danielis, (c) & crebro prouocat ad alios; Petrus (b) quoque laudat Hebraeos vniuerse ad propheticum sermonem intentos, tanquam ad lucentem in obscuro loco lucernam, donec dies illucescat, & lucifer oriatur in animis ipsorum. Sed hoc eos vult primum intelligere, nullam Scripturae prophetiam esse proprii instinctus; non enim, inquit, libitu hominis editum est vnquam oraculum, sed Spiritus S. afflatu locuti sunt sancti Dei Viri, cui sit laus & honor in aeternum!

DE

(a) Gurtl. l. c. §. 9. (b) Matth. XXIV. 15. (c) 2. ep. I. 19. ff.



DE  
FALSA OPINIONE SAMVELIS,  
A DEO VOCATI,  
DISQVISITIO EPISTOLICA  
PRAESIDIS AD DEFENSOREM DISSERTATIONIS.

**M**εγαλιων αιτημα est Spinozae, ut ei credamus, non omnino persuasos fuisse Vates diuinos de patefactionibus suis, quocertio-rem esse Philosophiam vaticinatione demonstret, huiusque adeo prae illa diminuat auctoritatem. Mouit te eius rei indignitas, ut non aliud tibi argumentum expeteres solemnibus in hac Academia disputationis, qua quam abhorreas ab istiusmodi sacrorum contemptu, declarares. Succurrit autem de his conferentibus dubium de Samuele, qui ter nomine citatus a Jebouab, aequae ignarus fuit a Jeboua se citatum, ac ipse Judex Eli, adeo ut putaret, Elim se citasse. Qui, quaeso, factum, ut, si certi statim fuerunt Vates de patefactione Dei, hanc toties intelligere non potuerit Samuel, quo tunc ut Vate uti voluit Deus? Miror, id exemplum a Spinoza hic non productum esse. Historia nota est ex libro 1. Samuelis, (a) ex cuius tamen toto perspicies contextu, non incertum de voce Samuelem, sed ignarum initio fuisse, cuius esset. Rara namque eo tempore oracula Dei aut apertae visiones exstabant, (b) Deusque tum ex loco sancto, quasi ex machina, nil minus, quam hoc cogitantem affabatur Samuelem, (c) cui nullum adhuc patefactum fuerat oraculum Dei. (d) Quapropter tum nondum adeo dispositus fuit ad recipiendam Dei patefactionem, aut agnoscendam eius vocem, uti postea. (e) Nam licet in ipsa dissertatione, (f) Deum ad vaticinandum non requirere dispositiones naturales, contenderimus, ipsum tamen lumen propheticum, semel iterumque receptum, disposuit hominem, ut magis aptus esset ad ulteriores patefactiones, quam qui id nunquam receperat: nec adeo ea dispositio a natura, sed ab extraordinaria illa Dei gratia fuit. Sane si per naturam usu venit, ut

ces-  
(a) III. 4. ff. (b) v. 1. coll. v. 21. (c) v. 3. f. (d) v. 7. (e) v. 19. ff.  
(f) §. 11. p. 17.

cessante fidium impulsu extremae quaedam motiones aliquamdiu perdurent, ( quae olim Gregorii Nysseni ( a ) erat similitudo ) aut si per gratiam contingit Dei, ut mens adsueta precationi ardorem religionis concipiat facilius, idem quoque per extraordinariam factum gratiam, quis temere velit negare? Potuit utique Deus, licet ad naturae dotes non respexerit, in ea tamen eleuanda certum ordinem tenere, ac, ubi ei visum, animo se patefacere per gradus, semper magis ac magis. Hinc Samueli primum vocem fecit innotescere, quam ille non sine ratione e somno excitatus rebatur esse Eli: sub hoc enim ministrabat Jehouae, ( b ) quo in ministerio ipse aduetus erat vocari ab Eli, nihilque minus poterat sibi persuadere, quam Deum adesse, diuina secum arcana communicaturum. Quod si ita res ista disposita non fuisset, vix crediderim, Samuelem indicaturum fuisse oraculum Dei: timebat enim. ( c ) Vnde & Abaranel ( d ) rationem redditurus, cur non ita patefactio contigerit Samueli, ut statim animaduerneret, vocem esse propheticam? factum hoc esse ait in gratiam Eli, ut ille rem rescisceret, & postea quaereret ex Samuele, quid Deus cum ipso fuerit locutus, eiusque dictis, tanquam ex oraculo editis, fidem haberet. Addo etiam in gratiam ipsius Samuelis, ut is instrueretur de modo, quo se digne comparare deberet ad locutionem diuinam. Interim quod intellexit Samuel, de eo quoque ex interiori sensu certus fuit. Certus primum fuit, voce se alicuius citari, nam hoc tantum norat: alioqui non accessisset Elim, quasi ab eo citatus; certus deinde fuit, Deum sibi illa de poena Elis patefecisse, nam hoc tum ulterius ex Deo cognoscebat: alioqui non ausus esset Eli id petenti tam confidenter referre; ( e ) certus denique fuit de omnibus illis, quae postea ipsi sunt patefacta, nam succedente tempore plura expertus est, nec adeo aetate solum, sed & sapientia creuit. ( f ) Tu vero dum omnes omnino Vates suis de patefactionibus certos fuisse, nec eo indignis signis, mecum suscipis defendendum, gratulor de hoc ingenii conatu impense, ac, ut primitiae hae sint uberioris messis, ex animo tibi voueo, atque precor. Dedi e museo V. Cal. April. an. c. l. lcccxi.

( a ) de opif. hom. c. XXXI. ( b ) v. 1. ( c ) v. 15. ( d ) in l. c. ( e ) v. 18.  
( f ) v. 19.